

ad omnia tuenda atque obeunda multifariam distineri coepti
5 non sufficiebant. Itaque iam feriebantur arietibus muri
quassataeque multae partes erant; una continentibus ruinis
nudauerat urbem; tres deinceps turrets quantumque inter
6 eas muri erat cum fragore ingenti prociderant. Captum
oppidum ea ruina crediderant Poeni, qua, uelut si pariter
utrosque murus texisset, ita utrimque in pugnam procursum
7 est. Nihil tumultuariae pugnae simile erat, quales in op-
pugnationibus urbium per occasionem partis alterius conseri
solent, sed iustae acies, uelut patienti campo, inter ruinas
muri tectaue urbis modico distantia interuallo constite-
8 rant. Hinc spes, hinc desperatio animos inritat, Poeno
cepisse iam se urbem si paulum adnitatur credente, Sagun-
tinis pro nudata moenibus patria corpora opponentibus nec
ullo pedem referente ne in relictum a se locum hostem im-
9 mitteret. Itaque quo acrius et confertim magis utrimque
pugnabatur, eo plures uulnerabantur nullo inter arma cor-
10 poraque uano intercidente telo. Phalarica erat Sagun-
tinis missile telum hastili abiegno et cetera tereti praeter-
quam ad extremum unde ferrum exstabat; id, sicut in pilo,
11 quadratum stuppa circumligabant linebantque pice; ferrum
autem tres longum habebat pedes ut cum armis transfigere
corpus posset. Sed id maxime, etiamsi haesisset in scuto
12 nec penetrasset in corpus, pauorem faciebat quod, cum